

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

Emmerich, Georg Emmerich, Georg

Regiomonti, 1710

VD18 1310747X-001

§. XXXII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

Dein Sectio usitatis cultris anatomicis, non quo vis alio inepto, aut novacula peragatur; Querela enim sæpè oritur à Defensore Rei, quod instrumento inepto, quo facillè partes incidi ac vasa incautè amputari queunt, ad arduum ejusmodi negotium fuerit usus Professor. Sic ap. Valentin. l. c. p. m. 34. Caf. 8. Sectio novacula peracta nullitatis fuit accusata, nam Medicum adhibitam novacula arteriam subclaviam incautè disseccasse putarunt. Porrò non solum pars vulnerata sectione est aperienda, sed & cæteri ventres sunt disseccandi ac lustrandi, quia occisus non è vulnere forsan, sed alio quodam morbo abscondito latente perire potuit; observante hoc Valent. l. c. p. m. 7. Imò Bohnius aliquot exempla læsionis internarum partium l. c. p. 590. & seqq. recenset, absq; externis violentiæ signis; hinc interna cætera rimari non detrectet sector ille, si causas necis nondum invenerit sufficientes.

§. XXXIII.

Tandem saluberrimum adhuc monitum addimus, ut in ipsa inspectione Medicus annotet & conscribat, quæ viderit & conspexerit, aut chirurgus dictitet, quæ annotanda & de specie facti ac qualitate vulneris consignanda fuerint, memoria enim labilis est, vel evenit sapius, ut inter Inspectores lis oriatur, an hoc vel illo modo sese habuerit vulnus, quod si sub ipso sectionis actu hæc consignata fuerint, nulla dissensione aut altercatione opus erit, quod ex praxi & eventu, in nostro superiori casu, obvio discere ac haurire potuimus; hinc in relatione ipsius inspectionis s. speciei facti præsentis Medici aut chirurgi semper consentire possunt ac debent, dum sensuali dignotione s. visu id assequi possunt, sed in judicio & rationibus postmodum dissentire poterunt, cum id mæ rationis sit, & ad integra collegia decisio pertineat. Annotata tandem illa inibi conscripta, domi probè sunt consideranda, melius dispescenda, ac optimè ponderanda & rimanda, ut relatio ex inde legitima formetur. Imperator quidè Carolus V. annotationem circumstantiarum, percussionis, ac qualitatem vulneris conscriben-